

IV

populorum sensu aut utilitate, coalescant; quae, ubi mutandarum necessitas aliqua ostenditur, mutationis istius modum verissimum ipsae demonstrent; neque omnino tollendae sint. Quae omnia si vel maxime adsequatur legum condendarum sapiens magister; supererit quod imprimis optabile iudicet, ut ratio reperiat aptissima instillandi eas civium animis: ne post cognitae leges desint deinceps observandarum adiumenta et auctoramenta, liberali natura dignissima; ne summae auctoritatis mandata solum censeantur, quae bene beateque vivendi praecepta merito habentur; ne vel malignior interpretatio, vel aperta latebrae, vel peccandi impunitas vlla, doceant leges fallere. Amare bonas leges, libenter iis adsuescere, et adeo imperium earum non detrectare, ut his si careas, optimo te et amicissimo duce priuatum existimes; mores denique sponte et constanter attemperare iis ipsis, quae leges praestare iubeant: hanc istarum reverentiam, hunc in eas animum stabilire, si quis legislator didicerit, vincet sine dubio clarissimos ex eo genere viros, qui sanctiones longe pulcherrimas protulerunt; non item modum, quo cum vita civium arctissime copulentur. Nam, quae acuta est *Aristotelis* ^{a)} observatio, ὁ νόμος ἰσχύει γὰρ μάλιστα ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος; *omnis legibus ad persuadendum vis a consuetudine nascitur.* Et in eandem sententiam poeta ^{b)} queritur:

Quid leges sine moribus

Vanae proficiunt?

Sed missa hac curarum parte, lubet inuitatis a praesente scribendi opportunitate, ex infinita illa silva, in qua habitant

^{a)} *Aristotel.* Politic. L. II. c. 8.

^{b)} *Horat.* Carm. L. III. Od. XXIV. v. 35. 36.